



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 66. Et osculatus est eum. v. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

vestimenti cum hamoroisſa tangere, quam me beatum dicerem! patientia, mi Jeſu, donec te videro in cœlis. Sed & gratiam oro, ne cum Iuda ſub ſpecie bonitatis aut pacis ſimulatò agam, te vel proximum verbis, factis vel corde circumveniam, ſed in omnibus honorem tuum quæram, te amem & proximum in ſæcula ſæculorum.

§. 65. *Et conſeſtim accedens ad Jeſum dixit: Ave Rabbi. v. 49.*

Ut primum vidit Jeſum in horto Iudas, conſeſtim accurrit gaudenter quaſi novos in ejuſ ſchola adducens diſcipulos, aut lætum alla turus nuntium, accedit, ſalutat profunde, dicens: Ave Rabbi, & vocat Magiſtrum cuius non vult eſſe diſcipulus amplius, ſed proditor.

O Mi Jeſu, à me longe ſit deprecor tantum peccatum ſimulationis ut aliud lingua loquatur aliud cor ſentiat, ſit cum corde lingua una actio, nunquam inter ſe diſcrepentur vel aliud interius ſentiam aliud exterius agam, unde ſimulator vel mendax dici aut haberi poſſem coram te vel hominibus.

§. 66. *Et oſculatus eſt eum. v. 49.*

Nihil dubito erubiſſe naturam univerſam in iſto concurſu oris execrabilis, & oris ſancti vel corporis integerrimi & corporis ſpurciſſimi. Nova fuit hæc Ecclipſis ſolis iuſtitia, quem cæpit obtegere umbra inferni, ſed ô ſons indefinens pietatis Jeſu, cur à Iuda cane illo ingratiſſimo te non avertiſti, cum non vereretur oſculum petere ſacri oris tui! ſed ipſum dulcem & amabilem vultum tuum in quo dolus non fuit ullus, ad ſpurciſſimum illius malitia abundantem vultum ſuaviter applicuiſti? ſuſpicor ut intelligerem eum nolle fugere, ſicut Iudas putabat, ſed appetere mortem pro ipſo, redimendo & ſalvando, & ut ex tam inſperata bonitate convertererur adhuc ſaltè in ipſo iſtanti captivitatis ſuæ. ô incomprehenſibilis manſuetudo, ô admiranda benignitas, ô humilitas ineffabilis, ô iramènſa bonitas!

O Bone Jeſu quoties & ego te in ſpeciebus Venerabilis Sacramenti oſculor! utinam non ore læpe impuro aut fœtido peccatis ex mera patientia tua, qua venis ad me & te quodammodo offers ad fruendum dulcedine oris tui. ô me beatum ſi id ſine prodicione ago, ô infelicem ſi ab illa nõ recedo. Te deprecor igitur non ſit mihi Communio reatus ad pœnam ſed interceſſio ſalutaris ad veniam.

§. 67. *Dixitque illi Jeſus: Amice ad quid veniſti. v. 50.*

Non vocat illum Jeſus diſcipulum, ſed amicum: inſinuando quod iam excuſſerit jugum diſciplinæ, & relicta doctrina magiſtri velit eſſe ſu-
pra magiſtrum. indulgendo igitur miſero & cæco, Amicum vocat,